



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt non pro debito episcopus de consecranda Ecclesia munus aliquod
requirat. xxxvii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Item de pictura. Cap. XXXVI.

Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturam historiam quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus: quia in ipsa ignorantes vident quod sequi debeant, in ipsa legunt, qui literas nesciunt. Vnde & præcipue gentibus pro lectione pictura est. Quod magnopere tu qui inter gentes habitas, attendere debueras, ne dum recto zelo incaute succendereris, ferocibus animis scandalum generares. Frangi ergo non debuit, quod non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum. Et quia in locis venerabilibus sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admittit, si zelum discretionis condidisses, sine dubio & ea quæ intendebas salubriter obtinere, & collectum gregem non dispergere, sed potius poteras congregare, ut pastoris intemeratum nomen excelleret, non culpa dispersonis incumberet.

Ex epist. Gregorij Secundo seruo Dei recluso directa.

Vt non pro debito episcopus de consecranda Ecclesia munus aliquod requirat. Cap. XXXVII.

Placuit ut quoties ab aliquo fidelium ad consecrandas Ecclesias episcopus inuitatur, non quasi ex debito munus aliquod à fundatore requirat, sed si ipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit, non respuat. At tamen unusquisque episcopus meminerit, ut non prius deducat Ecclesiam, nisi antea dotem basilicæ, & obsequium ipsius per donationem chartulæ confirmatum accipiat. Nam non leuior est ista temeritas, si sine luminaribus vel sine substantiali sustentatione est eorum qui ibidem seruituri sunt, quam si domus priuata consecratur Ecclesia.

Ex concil. Vormatic. cap. 1.

Vt Ecclesiam in qua cadauera infidelium sepulta sunt, sanctificare non liceat.

Caput XXXVIII.

ECCLESIAM in qua mortuorum cadauera infidelium sepeliuntur sanctificare non licet, sed apta videtur ad consecrandum inde euulsis corporibus, & rasis parietibus, vel lotis lignis eius reedificetur. Si hæc consecrata prius fuit, Missas in ea celebrare licet, si tamen fideles fuerint qui in ea sepulti sunt.

Ex concil. Agrippin. c. 23.